



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 59. Connestabilis oppidum S. Quintini Anglorum Regi cedere pollicitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

gundiæ Ducem cum valido exercitu ad-  
 futurum sperassent. Dux Eduardo hac  
 de re gravius conquerenti respondit,  
 copias ad imperii sui nutum præsto fu-  
 turas, in Lotharingiam interim missas  
 esse, ut impensis hujus Ducis, a quo ad  
 bellum provocatus esset, vires resume-  
 rent; hoc dicto ambo primum Bonno-  
 niam, demum Peronnam progressi sunt,  
 ubi Eduardo Regi, atque Burgundiæ Du-  
 ci Nobilis de Crevilla, nomine Conne-  
 stabilis S. Pauli prosperum adventum  
 gratulabatur.

## §. LIX.

*Connestabilis oppidum S. Quintini  
 Anglorum Regi cedere polli-  
 citus.*

Ibidem Crevilla Regi ac Duci hæc si-  
 gnificabat; Connestabilis Dominus  
 meus oppidum S. Quintini nondum resti-  
 tuit; id enim iniquissimo factum fuisset  
 tempore, eoquod clandestina, quæ cum  
 Galliarum Rege fovet, consilia in ore &  
 oculis omnium fuissent; cum vero An-  
 glorum copiæ jamjam advenerint, Con-  
 nestabilis adeo considerate, ac circum-  
 specte cum Ludovico Rege haud amplius  
 aget, sed quantocius, si Burgundo bene-  
 visum erit, oppidum S. Quintini Eduar-  
 do cedit. Posthæc Crevilla Burgundiæ  
 Duci

sæcul. XV.  
 A. C. 1475.

**Sæcul. XV.** Duci literas Angliæ Regi inscriptas tradidit, in quibus Connestabilis Eduardum impense rogat, ut in omnibus, quæ ei Burgundus suggereret, aut sponderet, haud difficilior esset ad credendum, ac si eadem ex proprio Connestabilis ore perciperet.

## §. LX.

*Rex Angliæ aditu prohibitus.*

**E**duardus ampla hac securitatis fiducia delusus, concordî cum Duce opera consiliove exercitum suum ad urbem S. Quintini promovet, certa sibi spe facta, se ad primum adventus sui nuntium apertis undique portis exceptum iri. At tamen Connestabilis Eduardo urbis aditum adeo non concessit, ut etiam primos Anglorum ordines, cum urbi appropinquarent, excussis tormentorum globis peteret, ac præsidario milite in eos erumpente, quadringentos ac ferme Anglorum quingentos trucidaret. Eduardus hanc contumeliam gravissime ferens, perfidiæ a Connestabili perpetratæ rationem a Burgundo reposcit, ac vix non eundem hujus indigni facinoris conscium postulat. Dux nil intentatum relinquit, ut Connestabilem culpa liberaret. Ast cuncta, quæ in ejus favorem attulit, rationum momenta non nisi latentis doli metum